
C


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
14
24 C
22

VITA
BEATI ATTONIS PACENSIS PISTORIEN. EPISCOPI.


AVTHORE

LVDOVICO SANLLORENTE CORDVBENSI.

AD ILL.mum ET REV.mum D.D.

IO. BELTRAN A GVEVARA

Salernitanæ quondam Archiepisc. nunc Pacensis Ecclesiæ Antistitem meritissimum.



ROMAE;

Apud Stephanum Paulinum MDCXIII.

Superiorum permissu.

Legi hanc vitam ſancti Attonis, & nihil inueni, quod impedire poſſit, quo minus typis mandetur: nihil enim in ea eſt contra fidem, aut bonos mores, aut hiſtoriæ veritatem.

R. Card. Bellarminus manu propria.

Imprimatur ſi videbitur R.P.M.Sac.Pal.Apoſt.
Cæſar Fidelis Viceſg.

Imprimatur. Fr. Thomas Pallauicinus Bonon. Magiſter. & Reuerendiſſ. P. Fr. Ludouici Yſtella Sacri Palatij Apoſt. Magiſtri Socius, Ordinis Prædicatorum.

ILL.mo ET R.mo D. D.

IOANNI BELTRAN A GVEVARA.

Salernitanæ quondam Archiep. nunc Pacensis Ecclesiæ Præsuli Amplißs.

LVDOVICVS SANLLORENTE S. F. E.



NTER illustriores Hispaniæ viros, qui sanctitate, & doctrina in Ecclesia Catholica præfulserunt, fuit Beatus ATTO PACENSIS, Pacensisq. Ecclesiæ quondam Canonicus, Vallisvmbrosani Ordinis Generalis VIII. ac demum Pistoriensis, in Hetruria, Episcopus. Cuius præclarè gesta (Amplißime Præsul) etsi litteris mandata fuerunt, vno tamen, vel altero incendio (quæ annis Domini

MCCII. & MDLVIII. in Cathedrali Pistoriẽsi Ecclesia contigerunt) ab igne deuorata creduntur. Sed cum tanti Patris nostri memoria ad meã notitiã peruenisset in Vrbe(nè amplius lateret Hispanos) à diuersis authenticis, manuscriptis præcipuè, summa, qua potui diligentia petere, gesta inuestigare, actaq; inquirere studui, & ex ijs, quæ vera esse cognoui, opusculum hoc si non eleganti, fideli tamen fui ausus sermone conscribere, typis mandare, & iure dicare Tibi: vt sub tua luce in lucem editum, luceat luce, qua cunctis luces. Accipe itaque Tu, Illustrißime Domine, hoc meæ humilitatis munusculum, ea animi voluntate, qua res pias semper es prosequutus, & seruet Te Deus tamdiu incolumem, quamdiù exopto. Vale. Romæ VI. Kal. Maias, anno Domini MDCXII.

DO-

DOMNI PANCRATII FLORENTINI

Monachi Vallisvmbrosæ.

IN B. ATTONEM

Ode.



V.C ades præsens celebrande miris
Laudibus, dulci, nouiterque cantu
Nomen includi, precibus vocari
Annue nostris.
Thura iam sacris, Arabumque costum
In focis guttas adolens Sabæas,
Nomen ATTONIS *precibus beati.*
Mysta frequentes.
Tu super cæli residens coruscis
Ignibus fixè Triadem tuendo
Vota, quæ nostris labijs, & ore,
Fundimus, audi.
Nos tuum cuncti genus, & nepotes
Anxij præsens petimus leuamen;
Comis extensas medijs procellis
Accipe dextras.
Propter id nostrum Deus appulisse
Fecit ad littus resonis abusque
Tunc Anæ ripis, vbi Lusitanos

Bæti-

Batica finit.
Hic lares gestis celebres auitis
Vidit, ATTONIS teneram iuuentam
Imbuit claris Ana, Paxque dudum
Iulia factis.
At truces Mauros, Arabasque molles
Sacra foedantes monumenta passim,
Ritibus prauis, veluti colubros
Lauit vbique.
Sed grauis cunctis nimium videtur
Barbari rerum feritas potiti;
Qua solùm multi proprium coacti
Vertere tentant.
Inter hos ATTO, patriæ, propinquis
Nuncium, pergens Latium, remisit;
Martyrum bustis, cathedræ daturus
Oscula Petri.
Hic sacras ædes, ruderum Quiritum
Magna priscorum monumenta, cultu
Splendido dites, opibusque sanctis
Visitat omnes.
Hæc agens toto volitare famam
Protinus sensit Latio; probata
Vallisvmbrosæ monachos vigere
Integritate.
Mox eò gressus, meliora dona
Aemulans, vertit; cupiens sacrato
Nomen adscribi numero virorum
Seque, suumque.
Annuit iustè Deus obsecranti,
Fecit in coetum recipi petitum;

AT-

ATTO iam gaudet cecidisse fausto
Omine votum.
Coepit arcanis documenta curis
Strenuè secum reputare Patrum;
Scita maiorum sibi sartatecta
Vsque capessit.
In breui cunctis vigili labore,
Ad Deum casta prece praeferendus,
Corporis luxum cobibet flagellis,
Esurieque.
Iamque virtutum titulis corusco
Proximis aequè, celebrique longè
Dissitis, rerum statuere summam
Tradere Patres.
Quando Bernardus decoratus ostro,
Et sacrum tractans onus infulatus,
Administratas socijs regendas
Liquit habenas.
Inuicem sciscunt, moderamen omnes
Cuius intactae fidei daturi
Sint gregis sancti; subito recurrit
Integer ATTO.
Inde concordi studio regendos
Offerunt sese (licet ipse nolit)
Tunc sacris proni manibus pudicè
Oscula figunt.
ATTO Ioannis patris instituta
Praeses effectus, rata mandat esse,
Comiter cunctos monet, allicitque
Reddere vota.
Ad tuum caelis regimen relictis

ATTO descendit pietas, amorque;
Paxque diuino sociata cultu
Te duce creuit.
Terque felices, quater & beati,
Hæc quibus Christus dedit intueri;
Qui tuos mores imitantur, horum
Gloria maior.
Ad Deum cunctos stimulas amandum
Comiter quosdam monitis ciendo,
Molliens dictis grauibus proteruos
Lædere monstras.
Sedibus tandem superum relictis,
Ima virtutes petijsse cunctas
Feceras; quarum cupidus fuisti
Semper amator.
Fama virtutum penetrat tuarum
Accolas omnes, simul & remotos,
Qua tuæ cuncti fidei libenter
Se, sua credunt.
Clara Tyrrhenas nitet inter vrbeis
Nomen à cura capiens fideli;
Spondylo sancti, tonitruque nati
Clara Iacobi.
Hæc suas supplex capias habenas,
Et gregis curas, apicesque sacros,
Qua datur, monstres iter ad salutem
Anxia poscit.
Respuas quanuis onus, ac honores
Pauper, oblatas neque dignitates
Aestimas pluris leue quam putamen
Vel quasi floccos.

Pertinax coepti manet ipsa voti,
In tua fideris mage comitate;
Qua soles cunctas animi decoras
Vincere dotes.
Præsulem coepit rogitare summum,
Qui Dei terris regimen, vicesque,
Et datas claues gregis administrat,
Gramine pascit.
Vt gregis sacrum moderamen vni
Tradat ATTONI pietate claro,
Integro vitæ, sophiæ perito
Iusta petenti.
Annuit votis populi; piasque
Audijt voces Deus, vniuersum
Arte, qui summa regit, & gubernat,
Numine complet.
Pontifex tantum regimen benigno
Censet ATTONI fore largiendum;
Consecrat sancta caput vnctione,
Corpus amictu.
Qualis ex densis nebulis coruscus
Phoebus exsertans faciem comatam;
Ore se mundo manifestat omni
Splendidiorem.
Non secus fulgent decus, atque nomen
Proximis æquè, simul ac remotis
Fama virtutum varias pererrat
Orbis in oras.
Confluit fusè genus omne vulgi,
Nobiles, necnon procerum cateruæ,
Patris auditum documenta sancti,

Oraque visum.
Erudit verbis populum disertis,
Arguit durus facinus virorum,
Criminis blando citò poenitentes
Excipit ore.
Hac sibi mentes hominum benignas
Arte deuinxit; pepulit proteruos,
Ne pecus morbo vitiata sanctum
Foedet ouile.
Inter hæc ATTO populum vereri
Vrbe cum tota reperit Iacobum;
Cui pio cultu sacra nuncupare
Vota solebat.
Vt queat cultum cumulare sacrum,
Et pium ritum populi secundet;
Spondylum sanctum Minio ex Ibero
Duxit in vrbem.
Hic iugis cura vigili fouebat
Creditum sanctæ fidei popellum;
Nec minus clara veneratur ortos
Nobilitate.
Spiritum castis precibus leuabat;
Nec pedem sacra remouebat æde,
Donec à cunctis agitur synaxis,
Suppliciumque.
Pauperes blandis, inopesque verbis
Mulcet, ac escis agape referta
Nutrit, & morbis grauibus medetur
Supplice dextra.
Hisque virtutum titulis onustus,
Obsitos longo senio lacertos,

Nec

Nec tamen fessus solito labore
Destitit vmquam.
Vt diem tandem properare nouit,
Qua Deum fixis oculis tueri
Corporis gestit spolio relicto
Ludere mundum.
Tunc Deum fixè gemebundus orat,
Sospites quotquot dederas regendos,
Ne tuo quæso spolies amore,
Meque, meosque.
Hunc gregem tanto pretio redemptum,
Morsibus nolis rabidis luporum,
Et nec hostili manui patère
Te Deus oro.
Insuper fratres tuearis omnes,
Qua soles caros pietate Christe,
Quos in vmbrosa genuere Valle
Publica vota.
Proximus cælis animus reliquit
Membra lethæo rapiendo somno,
Inde pernici super astra cursu
Scandit Olympum.
Te Dei vultu petimus fruentem,
Vt tui fias memorum patronus,
Neuè nos miti patiare Christo
Crimine velli.
Neuè permittas nimijs procellis,
Quas graues nostræ meruere culpæ,
Obrui; Sed da miseris leuamen
Omnibus aptum.

VITA B. ATTONIS PACENSIS

Caput I.

BEATVS ATTO in Hispania oritur.



GITVR fuit B. ATTO natione Hispanus (& vt ipsemet * sibi testis est) Pacensi vrbe natus, quæ postquam à Beja Arabum cladibus deuastata Episcopalem sedem accepit, Pacensis latinè, vsitata verò voce Badaxòz appellatur. Vrbs, siuè antiquitate celebris, siuè quia naturæ artificio Ana fluuio irrigatur, Hispanis optimè nota. Dubiũm tamen adhuc est, quibus fuerit ortus parentibus, & quamuis multæ coniecturæ suadeant, eum nobilibus procreatum fuisse maioribus, non refert nunc generis nobilitatem ad laudem indagare: Cùm eius vita sanctissimè acta, quàmpluribus illustrata miraculis longè illum clariorem reddiderit, quàm clara progenies efficere potuisset. Puerulus prætereà dũ esset disciplinarũ studio tra-

* In stipulationis instrumento, quod ipse B. anno Dñi MCLIII. viij. Kalen. Maij fieri rogauit Pacensem se subscripsit; & alibi.

traditus, vt in ætate, ſic in humanarũ, & ſacrarũ litterarũ ſciẽtia (qua fuit egregiè inſtructus) progreſſus faciebat in dies; ac ne, vt ſolet, inflaret hanc cum morum integritate, Chriſtianarumque virtutum ornamentis perpetuò coniunxit: Siquidem Pacenſis Eccleſiæ electus Canonicus, ordinibus Eccleſiaſticis gradatim ſuſceptis, ad apicem ſacerdotalem tandem promotus eſt. Quo in munere obeundo ita ſe Beatus aliquandiu geſſit, omnia ſui officij exercitia laudabiliter adimplens, vt charitatis, humilitatis, caſtitatis, ac cæterarum clericalium virtutum, & ſuæ Eccleſiæ, & Populi ciuibus non pauca quotidie ſpecimina exhibuerit.

Cap. II.

Religionis ergò Romam petit, inde Vallemvmbroſam adit; vbi habitum induit.



AETERVM, cùm Sanctus vir perfectioris vitæ inſtitutum adire ſecum meditaretur, patriam (quæ impedimento eſſe ſolet) relinquens, Italiam verſus peregrinari decreuit. Sed Romam potiſſimùm religionis gratià ſibi inuiſendam propoſuit: Sanctorumque Apoſtolorum liminibus deuotè viſitatis, ſolitudinis deſiderio captus

ptus: Ecce elongauit fugiens, & mansit in Vallevmbrosa, ad radicem Apennini in Hetruria eremo; ob arborum densitatem, & amœnitatem sic appellata, & à Florentia commendatissima vrbe, ex parte, qua Orientem respicit, sexdecim milliaribus distanti: in qua vitam eremiticam à monachis duci, fama nunciabat vbilibet. Ibi Christo militaturus, habitum sancti Ioannis Gualberti Vallisvmbrosanæ Congregationis fundatoris suscipit, ac viuendi sancti Benedicti monasticam normam, regulamque communem cum alijs circa annum Domini MCXXV. expresse profitetur. Vnus quidem omnibus erat habitus, vna omnibus regula, dispar tamen eius obseruationis exercitatio: Nam sanctus ATTO, inter alias eius virtutes, sæculo adeò se abnegauit, reliquit, & mūdana omnia, vt nec suorum quidem parentum, consanguineorum, affiniumvè nomina, aut cognomina, toto suæ vitæ curriculo vnquam protulisse tradatur.

Cap. III.

Totius Vallisvmbrosani Ordinis Abbas Generalis eligitur.




T quidem sic obedientiam, castitatem, ac paupertatem regularem præ cæteris Beatus monachus obseruauit; horarijs precibus mona-

chorum primus adfuit, eas ſtudioſè pariter,& deuotè concelebrans; ieiunijs feruidè vacauit; cilicijs, & diciplinis indefeſsè incubuit, vt nemo inter monachos ATTONE fuerit obedientior, nemo caſtior, pauperior nemo, nemo feruentior, nemo abſtinentior,perfectior denique nemo in regularis vitæ actionibus iudicaretur. Quapropter non poſt longum temporis ſpatium ab approbatione in Abbatem Vallisvmbroſani monaſterij, ac octauum Generalem totius Ordinis (vt aliqui * volunt) Bernardo de Vbertis Epiſcopo Parmenſi, & S. R. E. Cardinali, Sanctus Sancto ſuffectùs eſt.

* Arnoldus Vuion. ligni vitæ p. 1. lib. 1. c. 34. Eudoxius Loccatell. in vita S. Ioã. Gualb. lib. 2. c. 15. Theſaurus Velius in vita S. Bernardi de Vbertis c. ſuo 10.

Cap. IV.

Inter alias eius virtutes, præcipuè humilitas commendatur.



SED, quia diuerſis virtutibus, præclarisque facinoribus in Generalatus munere conſtitutus monachus Sanctus enituit. Operæpretium duxi ab humilitate, omnium radice virtutum priùs narrationem incipere. Illum, vt diximus, octauum Generalem Vallisvmbroſani Ordinis conſtituerunt monachi: Non igitur, tàm cui obedirent, quàm quem imitarentur ſibi propoſuerunt; quia ità humilem ſe præbuit in-

cun-

cunctis, vt non alium quàm peccatorem se, ad omnia indignum, scientiavè imperitum scriptis firmaret, & ore.

Vsus est præterea sancta in conuersando grauitate, in præcipiendo prudentia, & in castigando humanitate: Malebat enim deflectentes à regula, & instituto, paternis quibusdam consilijs, & admonitionibus, quàm minis, & acerbitate pœnarum reuocare; Maximè verò patrem se ijs recipiendis ostendit, qui religione deserta habitum abiecissent; quam ob causam aliquas obortas persequutionum procellas non minus fortitèr, quàm sapientèr superauit. Erat etenim perpatiens, animo constans, mente deuotus, incessu maturus, & sicuti sibi difficilis, & seuerus, ità alijs facilis, & benignus exhibebatur.

Verum filium etiam se præbuit illius, qui Parens Congregationis fundator, ac propagator exstiterat: quamplurima enim monasteria per Hetruriam à fundamentis exstruxit, multa inchoata perfecit, & perfecta alia (vt est illud sancti Vigilij de Lugana in Veronensi diœcesi) impetratis priuilegijs ab Innocentio II. Romano Pontifice suô Ordini aggregauit. A quo etiam multarũ immunitatum Vallisvmbrosanæ Cõgregationi à diuersis Pontificibus cõcessarũ cõfirmationẽ obtinuit. Dat. Pisis per manũ Aimerici S.R.E. diaconi Card. & Cancellarij, anno incarnationis Dominicę MCXXX. Indict. VIII. Põtificatus verò Dñi Innocentij PP. II. anno I.

Cap. V.

Ab Innocentio secundo creatur Episcopus Pistoriensis.

DVM hiscè temporibus his, & similibus sanctus ATTO fulgeret virtutibus, ex hac vita migrauit Ildrobandus Pistorij Episcopus (hæc in Hetruria milliaribus viginti à Florentia ciuitas distat) in cuius sedem ATTONEM iam virum in religione probatum, eius sanctitate mota Pistoriensis Ecclesia, præsulem designauit, & designatum de eiusdem Ecclesiæ obsecratione Innocentius huius nominis secundus anno millesimo centesimo trigesimo (quidquid alij dicant) tertio confirmauit. Qui licet maximè doluisset, ne diuinæ tamen obsisteret Voluntati, onus illud non recusauit. Immo animaduertens, non tàm ad honorem, quàm ad onus à Deo fuisse vocatum, ex tunc & monachi, & Pastoris curam habere cœpit. Monachi quidem, quia semper habitum, semper regulam monachorum tenuit: Congregationibus, & Comitijs generalibus sui Ordinis vocatus semper interfuit, & eorumdem conuentus vnà cum Superioribus visitauit. (quo tempore in monasterio Sancti Sepulchri Astini Bergomensis diœcesis, Manfredi Abbatis precibus annuen-

tem altaria duo, & alia per diuersa Tusciæ loca sacrasse legimus) Pastoris verò siquidem, ad pauperum, egenorumque refectionem, ad pupillorum, & viduarum inopiam subleuandam Hospitale sancti Iacobi, quod in Burgo portæ Gaialdaticæ Pistoriensis ciuitatis constructum manet, proprijs bonis locupletare curauit. Verbo prætereà Dei gregem reficiebat aliquãdo, maximo cum fructu id muneris præstans ob donum, quod à Patre luminum in declamandis concionibus ad populum insignitus fuerat Ecclesiaster egregius. Quo denique in munere tunc se strenuum, ac vigilantem pastorem ostẽdit: cùm publica peccata, simoniam præcipuè, omnem tunc ferè Italiam fœdantem magna libertate vsque adeò acritèr increparet, vt eadem de causa semel, atque iterùm persequutiones tolerauerit, opprobria pertulerit, & iniurias, quas omnes pro Christo Iesu, quem vnicè diligebat, ita animo constanti substinuit, vt nunquam à pio, sanctoque proposito quicquam se reuocari passus fuerit. Quapropter non solùm ab Innocentio secundo, & eius successore Cælestino secundo Pontificibus Maximis, verùmetiam à quamplurimis coëpiscopis præter morem, consuetudinemque reliquorum consuli, & summa in veneratione haberi cœptus est.

Cap. VI.

A Compostellano Archiepiscopo maximam partem capitis S. Iacobi Apostoli impetrat.

*Anonymi historia de translat. reliq. S. Iacobi Apli. habetur manuscript. in Eccl. Pistorien. vbi p singulos annos legi cõsuetum est.

Sozomen. Protonot. Apostolicus in Chronico sub anno MCXLV.

Arnoldus Vuion. p. 1. lib. 1. de ligno vitæ c. 34.

Cosm. Bracciol. Prot. Apost. in vita B. nostri.

Chrysostomus Talenti oration. in laudem B. ATTONIS, & alij.



CARVS in primis ATTO Pistoriensibus suis tunc, & eò maximè fuit, cùm non minimam reliquiarum de capite Beatissimi Iacobi Apostoli fratris sancti Ioannis Euangelistæ, incognitus ab incognito, per litteras fuerit adeptus, eamque in sacello cathedralis Ecclesiæ debita cum veneratione collocatam, ipsis colendam dederit. Quarum notabilium reliquiarum translationem (quia ignota Hispanis hactenus est) consultò libuit, vt ex manuscriptis fide dignis, & Anonymi * præcipuè historia (qui B. ATTONE familiarissimè vsus est) quàm succinctè recésere.

Erat hac tempestate apud Compostellam leuita quidam Raynerius nomine Compostellanæ Ecclesiæ Cardinalis Canonicus, ac scholarum magister, vir, siuè humilitate, siuè doctrina pollens. Cui (licet sibi ignoto, Diuina tamen ad multorum salutem ità ordinante Sapientia) per Mediumvillanum, & Theobaldum ciues Pistorienses ad Sanctum Iacobum, religionis causa, proficiscentes, Beatus ATTO proprias litteras direxit, rogans, & obnixè postulans ab

eo, vt si in conspectu Diuinæ maiestatis placeret, de pretiosissimo reliquiarum thesauro Beatissimi Iacobi Apostoli fratris sancti Ioannis Euangelistæ, ac Hispaniarum Patroni (qui Pistorij etiam tutelaris esset) aliquid ei dignaretur mittere. Cuius venerandi Præsulis petitio, cùm Didaco tunc temporis Compostellano Archiepiscopo, vnà, & eius sanctitatis fama innotuissent, non potuit talis, ac tanti viri precibus, pijsque petitionibus non acquiescere. Siquidem quodam die de anno millesimo centesimo quadragesimo quinto suæ Ecclesiæ Canonicorum stipatus agmine, multis etiam suffusus lacrymis, summa cum deuotione, ac debita veneratione sumens non minimam reliquiarũ de capite sancti Iacobi Apostoli, diligenterq; in quadam capsa recondens, per prædictos vrbis Pistorij viros, sequẽti epistola, aliorũ alijs omissis, Venerando ATTONI direxit.

Didacus Dei gratia Compostellanæ Sedis Archiepiscopus, totiusq; eiusdem Ecclesiæ Canonicorũ conuentus, ATTONI Pistoriensis Ecclesiæ Reuerentissimo Præsuli, omnibusq; eiusdem Ecclesiæ Canonicis, & parte Vrbis Consulibus, & vniuerso Populo, salutem, & benedictionem in Christo.

Hæc, & aliæ epist. seruantur manuscrip. in lib. Eccl. Pistoriẽ. atq; de earum authoritate Cãtarin. Clericus, & Cancellarius inibi fidẽ facit.

S*CIATIS pro certo, & in nullo dubitetis, magistrum Raynerium nobis familiarissimũ dominum, vestraque Ecclesiæ filium verum dice-*


re de reliquijs corporis Beatissimi Iacobi Apostoli, quas accepit à nobis cum summa difficultate, benigna tamen charitate, vobisque misit: scilicet quod audiuerit à prudentissimis, & senioribus viris Beati Iacobi Ecclesiæ Canonicis, & in rei veritate, à nobis illud caput Beatissimi Iacobi Apostoli fratris Ioannis Euangelistæ, vnde cum summa reuerentia à nobis sumptæ sunt, & ita apud nos creditur esse, dicitur, & pro certo tenetur. Proinde obsecramus vos, quatenùs honorificè supradictas reliquias prædicti Apostoli suscipiatis, & honestissimè tractetis. Vale.

Tandem cùm Mediusvillanus, ac Theobaldus Pistorium perueniſſent, theſaurum vno, & altero miraculo à Deo condecoratum in via, sancto Episcopo præsentauerunt. A quo, & Clero debito honore susceptum, in sacello, quod ipse à fundamentis proprijs sumptibus exstruxerat, perfecerat, atque sacrauerat Ciuibus suis venerandum dedit. Vbi, vt Eugenius * III. Romanus Episcopus tradit, cæci, claudi, contracti, & alij diuersis languoribus debiles, in eodem loco per Beati Iacobi preces, & merita optata salutis remedia percepere. Sed ego desinens de his prosequar institutum.

*In priuilegio indulgentiarum Dat. Viterbij Kal. Decemb. pro visitantib. d. Capellã. seruatur Pistorij.

Cap. VII.

Innocentiam Sancti viri Deus mirabiliter ostendit.



OSTQVAM verò sãctus ATTO sacellum,& altare ad Diui Iacobi Apostoli reliquias collocandas consecrauit, virtutum Dominus, qui nõ priuat bonis eos, qui ambulant in innocentia, quique aues cæli inobedientes, non obedienti præceptis suis nostro Protoparenti, fecit ipse, legis suæ obedientissimo, ac fidelissimo ATTONI columbam ex inobedienti (vt innocentiam serui sui manifestaret) in hunc modum obedientem reddidit. Quadam scilicet occasione innocens, ac sanctus Pontifex super cancellum sancti Iacobi altare circumiens palumbem torquatum imposuit, qui sese Beato ità obedientem præbuit, vt à siti, fameque oppressus, ab hominibus atque perterritus; O dictu certè mirabile, ac visu mirabiliùs! per quindecim dierũ spatium ex Ecclesia nõ aduolauerit; Sed postea aduolauit? Absit: virorũ enim, ac mulierũ ad inauditũ concurrentiũ, siuè oppressione, siuè pennarũ spoliatione (quas pro reliquijs vnusquisq; haberet) mortuus est. Tantum verò miraculum columba ærea in eodem situ seruata æternæ memoriæ mandat; Sancti ergò innocentiam,

quam Deus diuinitùs cælum vsque efferre voluit; quam Raynerius * leuita, vitaque præclarus, ne laudes sancti ATTONIS diminueret, laudare timuit; à me aliter laudanda non est: innocens potius alter, quàm nocens ego, impurus, mortalisque homo encomijs prosequatur.

* In epistola S. ATTONI directa.

Cap. VIII.

Rogatus à monachis, nonnulla scribit.



RAETEREA, ingenij sui pia monumenta relinquens, Beatus ATTO conscripsit latinè epistolarum, non minus piarum, quàm doctarum, librum vnum. De translatione reliquiarum, & miraculis sancti Iacobi Apostoli, librum vnũ. De vita, & miraculis sancti Ioannis Gualberti Vallisvmbrosanæ Congregationis institutoris plerumque rogatus à Fratribus, librum vnum. De gestis sancti Bernardi de Vbertis Episcopi Parmensis, ac S.R.E. Cardinalis, librum alium, concionesque aliquas simul. Nec sunt audiendi, qui vitam Beatæ Verdianæ de Castroflorentino etiam scripsisse volunt: Cum ista anno Domini MCCXLII. obierit. Ille verò MCLIII. salutis, ex hac vita migrarit. Quorum error ex eo fortè fuit ortus, quia vitam sancti Ioannis

Gual-

Gualberti à Beato ATTONE collectam in vetusto manuscripto codice vnà cum vita Beatæ Verdianæ sub vnico sancti ATTONIS titulo viderint, quibus respondendum ex instituto putamus cùm sancti nostri opera, quæ inuidiosa vetustas non consumpserit, Deo Authore, scholijs illustrata typis mandauerimus.

Cap. IX.

De *sancti ATTONIS obitu.*



TANDEM, cum sanctissimè per viginti annos diuus ATTO suæ præfuisset Ecclesiæ, peruulgata per diuersas Orbis regiones eius sanctitatis fama, sedente Eugenio III. Romano Pontifice, bonisque omnibus in pauperes distributis, pauper ipse spiritu, & in Christo diues, vigesimo octauo post distributionem die, dierum, ac virtutum plenus, clarusque miraculis, obdormiuit in Domino vigesima secunda Maij, anno post Christum natum cẽtesimo quinquagesimo tertio supra millesimum. Cuius pretiosissimum corpus celebriori, quo potuit funere, fuit à Clero, Monachatu, & Populo, omnibus sancti viri memoriam, lacrymis prosequentibus, in suburbana Pistorij vrbis Ecclesia, sanctæ Mariæ

(ſancti Ioannis Rotundi hodie vocitata) religiosè ſepultum.

Cap. X.

Poſt CLXXXIV. annos idem corpus integrum inuenitur.

BEATISSIMI ATTONIS corpus, quod ignotum aliquantulùm ob euaneſcentem ſimul cũ annis hominum memoriam diù humatum iacuerat, die vigeſima ſecunda Iunij, ſedente Benedicto huius nominis XII. Romanæ Sedis Pont.Max. anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſeptimo, ab eius verò obitu centeſimo octuageſimo quarto, ſic mirabilitèr eſt inuentum. Cum prædicta ſancti Ioannis Eccleſia reædificaretur, terramque ad fundamenta erigenda, altè, altiuſque operarij ſuffoderent, capſa plumbea non omnino rudi opere facta apparuit, in qua, & plumbeam laminam his inciſam litteris ATTO EPISCOPVS PISTORIEN. & eiuſdem integrum, illæſumque corpus Epiſcopali mitra, ac planeta, cæteriſque ſacerdotalibus indutum veſtibus, quæ ſpatio centum octuaginta quatuor annorum nõ dederat Deus videre corruptionem, præter ſpem intùs integra reperere: Siquidem nulla tabe corrupta,

nulla peste videres infecta; Quid plura? Vsque in hodiernum diem ita eius corpus integrum permanet, & illæsum, vt exuant, lauent, induant, eisdemque pontificijs vestibus ornent, quibus & olim reconditum, & vsque in hanc diem circumuolutum conspicitur. Immo quod admiratione dignius est, omniq; naturali philosophiæ repugnat, totius vtique naturæ vires superat(nullo præuio humano adminiculo)suauissimus, ac fragrantissimus odor, instar suffituũ cælestium emanauit, & emanat ab illo. Quo etiam tempore, ad eiusdem sacri corporis tactum misericors Deus multa in multos homines insanabili morborum tabo languentes, in hunc luxatum membris, in illum paralysi correptum, in istum podagra laborantem, in alium captum lumine beneficia contulit: Quorum adhuc aliqua Hetrusco sermone in tabella ad eius sepulchrum appensa, alia in suæ Ecclesiæ libris registrata leguntur.

Cap. XI.

Ad tactum sacri corporis mulier cæca visum recipit.



DVM beati ATTONIS corpus iacet inuentum, Ciues piè colunt, ac venerantur, sed vt ardentiùs prosequerentur, nec vlla esset sacrarum reliquiarum dubitatio, hoc

mirabili testimonio, & Ciuium fidem confirmat Deus, & sanctitatem serui sui perlustrat. Erat tunc temporis apud Pistorium mulier quædam cuiusdam Iacomutij vxor ex Fognano oriunda (ità Toscano idiomatè appellatur Oppidulum territorij Pistoriensis) & hæc ab octauo suæ natiuitatis die vsque ad annum ætatis suæ trigesimum cæca permanserat, quæ cum de inuentione corporis sancti ATTONIS audisset multa, petijt, quò corpus iacebat manuduci. Statim ac beati corpus manuducta tetigit, virtute Dei, virtutem Beati sensit, & visum, quo per annos triginta priuata fuerat non minus videntibus, quàm stupentibus omnibus, recuperauit.

Cap. XII.

Sacri Corporis translatio, & eleuatio.



HIS bene cognitis, ac debita deliberatione perspectis, Barōcius Episcopus Pistoriensis, ac populus decreuerunt solemni pompa sacrum Beati corpus in honestiorem locum transferre, miraque omnium lætitia, & exultatione, Clero, & Populo comitantibus, in cathedralem Ecclesiam transfertur, ac secus eiusdem fores, omnibus, quibus erat indumentis inuentum in li-

gnea deaurata capsa honorificè eleuatur. Vbi pauca fuerunt impensa denaria, tametsi interuentu Sancti multa dona collata. Quo situ magna, vsque in hodiernum diem, Populi celebritate colitur. Conuenientibus eò, religionis, ac voti causá, ex tota ferme Italia fidelibus, vt in sequentibus Romanis Pontificibus ad rem videri licebit.

Cap. XIII.

Alexander V. & Eugenius IV. Summi Pontt. corpus S. ATTONIS venerantur.



VAE omnia sic ad deuotionem accenderũt totius Italiæ animos, vt non solùm vtriusque sexus fideles, Prælati, & Episcopi; verùm Summus etiam Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ Episcopus, fideliumque caput, sacrum Beati corpus veneraturus concurrerit. Vt de Alexãdro V. Pont. Max. authenticè legimus, qui Pisis peste coactus, reditus cum sexdecim S. R. E. Cardinalibus, Pistorij supplex, vt decebat, Sanctum veneratus est, eique se, & Romanam Ecclesiam commendauit, anno post Christum natum MCCCCIX. de mense Nouembris. Quod etiam, vt alios omittam, Eugenius Papa IV. præstitit cum Ferraria Flo-

rentiam veniret ad cœptum Concilium celebrandū an. MCCCCXXXIX. de menſe Ianuar.

Nec exterior iſte cultus ſolus exhibebatur Beato, quin etiam ob vitæ ſanctitatem, & miracula in numerum Sanctorum relatum fuiſſe (antequam à Summis Pontificibus coleretur) multa probant inditia: Siquidem in antiquis ſecundum Ordinem Vallisvmbroſanæ ſanctoralibus, (quæ Miſſalia, & Breuiaria vocant) idem Beatus ſub feſto duplici, & Sancti appellatione honeſtabatur. Quod non aliter, quàm Sedis Apoſtolicæ auctoritate factum fuiſſe perſcrutanti reſpondebo, iuxtà Canonicas, quæ tunc vigebant, Alexandri * III. ſanctiones, & Concilij generalis Lateranen. * ſub Innocentio III. Vbi præcipitur, ne quis nouos Sanctos, aut reliquias publicè venerari præſumat, niſi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ.

* Cap. 1 de reliquijs, & veneratione SS.
* Cap. 62. eiuſdē tituli.

Cap. XIV.

Clemens Papa VIII. Diuinum officium pro B. ATTONE restituit.



VT Beatiſſimus Pius V. ex ſacri Tridentini Concilij decreto, vnam omnibus, eamdemque horas Canonicas pſallendi, ac dicendi normam in Eccleſia Dei proponeret, varietatem quandam Miſſalium, ac Breuiario-

rum ; quæ temporis diuturnitate, à prima sanctorum Patrum institutione deflexerant, quæque in singulis Orbis Ecclesijs ferè diuersa habebantur, auctoritate Apostolica tollere, & abolere decreuit. Quo factum est, vt Vallisvmbrosana Monachorum congregatio ab veteris officij pro sancto ATTONE recitatione desisteret, donec nostris temporibus ergà Pastorem suum Populi deuotione magis, ac magis aucta, ciuitas Pistoriensis, vnà, & prædictorum monachorum congregatio à Clemente huius nominis Octauo denuò petierint (Thoma Gelesio, pio, nobilique viro ob deuotionem ergà Pastorem suũ Romæ procurante, sumptusq; faciente) posse beatum sanctum, quo antea cultu, & veneratione celebrari ab omnibus. Quod negotium Sanctissimus Dominus noster Papa Cardinalibus super sacris ritibus, & ceremonijs deputatis examinandum commisit. Qui pluries re discussa, ac diligenter examinata; vt omnia acta, & scripturas à ciuitate Pistoriensi, & à Congregatione Vallisvmbrosana pro verificatione eorum supplicationis producta, diligenter inspiceret, examinaretque, & in Congregatione proximè habenda referret, Cæsari Cardinali Baronio commiserunt.

Donec die xj. Decembris anno post Christum natum MDCIV. in palatio solito fuit habita Congregatio sacrorum rituum. Quæ, audita præfati Cardinalis sententia, censuit concedi posse, si Sanctissimo D. N. placuerit, vt in ca-

thedrali Ecclesia Pistoriensi, vbi corpus dicti beati ATTONIS adhuc integrum asseruatur, & in vniuersa monachorum Congregatione Vallisvmbrosanæ officium, & missa de beato ATTONE, tamquam de vno Pontifice confessore, iuxta rubricas Breuiarij, & Missalis Romani, recitari possit, in qua Congregatione S.R.E. Cardinales ij interfuerunt.

Ptolomæus Episcopus Hostiensis Cardinalis Comen.

Alexander Episcopus Prænestinus Card. de Florentia, postea Leo Papa XI.

Dominicus Episcopus Tusculanus Cardinalis Pinellus.

Antonius Maria tituli S. Praxedis, presbyter Card. Gallus de Osmo.

Franciscus Maria tituli S. Mariæ de Aracæli, presbyter Card. à Monte.

Antonius tituli SS. Quatuor Coronat. presbyter Card. Fachinettus.

Cæsar tituli SS. Nerei, & Achillei, presbyter Card. Baronius S.R.E. Bibliothecarius.

Hieronymus tituli S. Blasij de Annulo, presbyter Card. Pamphilius.

Odoardus tituli S. Eustachij, diaconus Card. Farnesius.

Andreas tituli S. Angeli in Foro Piscium, diaconus Card. Perettus.

Ioannes Baptista tituli S. Mariæ in Cosmedin, diaconus Card. Detus.

Siluester tituli S. Cæsarij, diaconus Cardi-

Aldrobandinus.

Carolus Emanuel tituli sancti Nicolai in carcere, diaconus Card. Pius.

Die verò xv. Decembris eiusdem anni 1604. Apud Sanctum Petrum fuit habitum Consistorium secretum, & Sanctissimus D. N. noster audita prædictæ Sacrorum Rituum, Congregationis sententia annuit, vt in Ecclesia, & Diœcesi Pistoriensi, ac in omnibus Monasterijs, & Ecclesijs, tàm Monachorum, quàm Monialium dictæ Cōgregationis Vallisvmbrosæ, vbicunque existentibus, Officium, & Missa de dicto Beato ATTONE, tamquàm de vno Pontifice Confessore, (qui die xxij. Maij in Domino requieuit) iuxta regulas Breuiarij, & Missalis Romani liberè, & licitè recitari possit, & valeat. Quæ omnia latius in Breui, seù diplomate à dicto Pontifice concesso videri possunt.

CLEMENS PP. VIII.

AD perpetuam rei memoriam. Pietati, ac deuotioni dilectorum filiorum Ciuium, & Populi Ciuitatis Pistoriensis, ac vniuersæ Congregationis Monachorum Vallisvmbrosæ, quantum cum Domino possumus satisfacere cupientes pijs, ac deuotis eorum supplicationibus, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Ex voto Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium super sacris Ritibus, & ceremonijs deputatorum, quibus hoc negotium examinandum commisimus, autho-

ritate Apostolica tenore præsentium, vt in Ciuitate, & Dioecesi Pistoriensi, ac in omnibus Cōgregationis Vallisvmbrosæ, tàm Monachorū, quàm Monialium Ecclesijs, & Monasterijs vbicunq; existentibus, Officium, & Missa de Beato ATTONE, *qui dictæ Congregationis Vallisvmbrosæ octauus Generalis, & postea Pistoriēsis Episcopus fuit, tamquam de vno Pontifice Confessore die xxij. Maij (qua in Domino requieuit) iuxta regulas Breuiarij, & Missalis* Romani *liberè, & licitè recitari possit, & valeat. Vtque Officium, & Missam eo die recitantes, & celebrātes, obligationi recitandi Diuini Officij, & celebrādi Missam satisfaciant, perinde, ac si Officiū, & Missam decurrenti, iuxta ritum eiusdem Missalis, & Breuiarij Romani recitarent, & celebrarent, licentiam perpetuò concedimus, & indulgentiam. Non obstantibus Apostolicis, ac Vniuersalibus, Prouincialibus, & Synodalibus Cōcilijs editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, cæterisq; cōtrarijs quibuscumq;. Datum Romæ apud S.* Petrum, *sub* Annulo *Piscatoris die xxiiij. Ianuarij. M. DCV.* Pontificatus *Nostri anno tertiodecimo.*

Cap. XV.


Translatio notabilis Reliquiæ Sancti ATTONIS.

IXIT hac tempestate Domnus quidā Thesaurus cognomento Velius, eius-

dem instituti cum sancto ATTONE Monachus, S. Michaelis de Passiniano meritissimus Abbas; Qui vt amore in Religionem, & religione in Sanctos, atque in sancti ATTONIS, maximè cultum omni commendatione dignissimus erat: ita in prænominato suo Cœnobio (quoq Fesulanæ Diœcesis in Hetruria est) sacellum eidem Beato sacrum, eximio sumptu à fundamentis exstruere, perficereque non dubitauit. Quod, vt pretiosissimo Thesauro Thesaurus ornaret, eiusdem Sancti exemplo illectus, ab Episcopo Pistoriensi reliquiam aliquam præfati sancti Præsulis, cuius corpus in Pistoriensi Ecclesia incorruptum, & integrũ asseruabatur, die xvi. Augusti de ann. MDCVI. obnixè efflagitauit, ac post multa itinera, diffidiaque fauorabili vtroque Pistoriensi Senatu ab Alexandro Caccia, prædictæ Vrbis Episcopo dexteri brachij os (quod foscile minus appellatur) die xj. Februarij sequentis anni obtinuit, collocauitq; honorificè in dicto Sacello; & vt hominum affectum in eundem Beatum feruentius excitaret, à Paulo V. nunc etiam sedente Romano Pont. ad septennium spiritalia impetrabit stipendia, omnibus Christi fidelibus in ipsius Beati Natali die confluentibus. Sed cùm ad Passinianense Cœnobiũ sacrum os Abbas ipse gestaret, Deus pro singulari suæ magnificentiæ gloria sequenti miraculo collustrare voluit.

Cap. XVI.

Monialis per decennium infirmitatibus oppreßa, deosculatione prædictæ Reliquiæ liberatur.



SAEPE igitur, referente mihi præfato Venerabili Monacho, Sanctæ Praxedis de Vrbe nunc Abbate dignissimo, teste vtique oculato, verace, atque fideli (à quo etiam Domnus Chrysostomus * Talenti eiusdem instituti Monachus) cùm anno, à Christo nato, millesimo sexcentesimo septimo, & eiusdem, die duodecimo Februarij, Florentiæ apud sanctum Georgium Monialibus Vallisvmbrosani Ordinis prænominatam sancti ATTONIS Reliquiam deosculandam exhiberet Abbas ipse Thesaurus, vnã ex illis Aureliam nomine, grauissima iamdudum infirmitate depressam, atq; in lecto per decennium noctu, diuque cubãtem à diuturna molestia liberauit, & mira omnium exultatione pristinæ incolumitati restituit. Nũc superest, vt ad miracula, quæ diuersis temporibus interuentione Beati nostri, operari dignatus est Deus, quorumque magna est authoritas (vt nulla desiderentur eorum, quæ fidelia esse cognouimus) quàm citissimè properemus.

*Refert illud in pereleganti oratione ab ipso habita dum dictũ sacellum B ATTONI dicatum cõsecraretur.

Cap. XVII.

Femina in extremis laborans sancti ATTONIS precibus restituitur sanitati.



MVLIER quædam Bandina nomine Guidonis Normani vxor, cùm graui infirmitate oppressa, iamiam animã ageret, statim, ac se Beato ATTONI (vt potuit) commendauit humiliter interuentu eiusdem sancti Episcopi nullo transacto tẽpore, vitæ pariter, & saluti restituta est.

Cap. XVIII.

Habens vlcus incurabile, emisso voto liberatur.



BARTHOLOMAEVS quidam ex Florentia ciuitate oriundus, cũ Pisis esset, vlcusq; incurabile in tibia haberet, & ab eo per sexdecim annorum spatium maximè fuisset agitatus: votum emisit peregrinandi ad Beati sepulchrum, si valetudini restitueretur, quod meritis Beati Sancti à Deo præstitum est, ita vt votum persoluerit.

Cap. XIX.

Virgo continuò febricitans, eiusdem S. meritis incolumitatem adipiscitur.



ICOVERO (ita vulgò ciuis quidam Pistoriensis appellabatur) cùm filiam haberet quartũ annuṁ agentem, & hæc magnis febribus correpta decubaret, illam Deo, & B. ATTONI commendauit, per cuius Sancti merita valetudinem recuperauit.

Cap. XX.

Habens contractas manus ad tactum sacri corporis sanatur.



VLIER alia Viuola nomine Ioannis Nardi ciuis Pistoriensis filia: cùm ob membrorum contractionem, seù ariditatem per multum retrò temporis manuum officio fungi non potuisset, certior facta miraculorum, quæ intercessione S. ATTONIS patrabatur Deus: totius consolationis, ad eiusdem Beati sepulchrum se contulit. Vbi statim, ac manibus sacrum corpus tetigit, manuum suarum vsum recepit.

Cap. XXI.

Oppressus incurabili morbo, etiam ad tactum liberatur.



ON dissimili modo, alio tempore accidit Vanno Partino, cuiusdam Buonuassali adolescenti filio, qui cùm ita incurabili infirmitate cubaret, vt gestari quidem posset, incedere ipse non posset, ad sancti ATTONIS sepulchrum humeris se asportari fecit. Vbi cùm prius Deo funderet preces, supplexque postea sacrum Beati ATTONIS corpus tangeret, in pristinam ex tunc fuit restitutus sanitatem.

Cap. XXII.

Quidam podagricus, emisso voto, sanitati restituitur.




VM Matthæus quidam à Bernardo cognominatus, patria Florentinus, officio sutor, à pia quadam muliere nouisset, multa accidisse diuinitùs in inuentione corporis Beati ATTONIS, & hic ita podagra laboraret, vt nō incedere posset; votum emisit, se nudis pedibus venien

di Pistorium,& inuisendi Beati sepulchrũ,si pristinæ valetudini restitueretur, qui interuentu Sancti, sanitati restitutus, votum persoluit.

Cap. XXIII.

Quidam detinebatur infirmitatibus, & S. ATTONIS precibus sanus iter prosequitur.

BONACVRTIVS à Nero ciuis etiam Florentinus, cùm Pisis multis detineretur infirmitatibus, ita vt, quò se cõferebat peruenire nõ posset: cognoscẽs, quæ in inuentione corporis B. ATTONIS fuerãt multa subsequuta miracula, se humiliter illi, ac deuotè commendauit; Cuius Sancti interuentu incolumis ab omni infirmitate, quã breuiter reditus est. Sicut, & multi alij diuersis languoribus, podagra præcipuè oppressi, sanati sunt. Præstante Deo Patre, & Iesu Christo eius vnico Filio, ac Spiritu sancto Vno, Trinoq; laboris præmio in sæculorum sæcula. Amen.





FINIS.

